

1899

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE

BONA

INTENTIONE

PLERORVMQVE OMNIUM
SECTARIORVM ASYLO,

QVAM,

SVB AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII AC DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECT. SAX. HEREDIS, ETC. ETC. ETC.

PRAESIDE

DN. IO. GEORGIO NEVMANNO,

SS. THEOL. D. ET P. P. CONSIST. ECCLES. ASSESSORE
ET ACADEM. BIBLIOTHECARIO,

DOMINO PATRONO, AC PRAECEPTORE SVO,

PER OMNE VITAE SPATIVM COLENDO,

AD DIEM

JVL. ANNO MDCCVI.

TVEBITVR,

BALTHASAR GEYDER, NORDLINGENS.
AVCTOR ET RESPONDENS.

EDITIO QVARTA ANNO. MDCCXIV.

VITEMBERGAE,

EX OFFICINA KOBERSTEINIANA.

a. LXXXIII. 57.

Coll. diss. A
83, 51



F. N. F.

§. I.



Um nihil in rebus humanis, ita fauste & feliciter agatur, quod non vel error aliquis occupet, vel vitium contaminet; haud facile alia, in palliandis criminibus πρόφασις, ita frequens & vulgifermonibus trita est, atque bona intentio; quippe quam non tantum aperte flagitiosi, ubi ad iudices perventum est, sed etiam hypocritæ, qui de fraude convicti sunt, delictis suis prætexunt.

§. II. Inter hypocritas vero, cum etiam Hæretici, & quicumque Sectarii, ex Christi iudicio, referantur, omnium seculorum fide perspectum, ipsaque comprobatum experientia est, sub hac maxime larva plerosque omnes delituisse, hanc in scenis & pulpitis suis decantasse, hac denique propemodum una, non incautis tantum, sed vel perspicacissimis aliquando imposuisse.

§. III. Jam pridem ante nos, hoc argumentum ex instituto tractavit Drexelius, Pater Ignatianus, duobus quidem Libris, de Recta Intentione, copiose, nec inerudite scriptis, quorum altero, Intentionem bonam, malam, indifferentem ac denique nullam explicat, altero vero bonæ intentionis comites, ut vocat, sive hostes; utpote, inanem gloriam, iudicium temerarium, denique & signa ejus, praxin & premia enumerat. At si dicendum quod res est, nec ἀκριβέσταυ Philosophicam in describenda accuratisque limitibus distinguenda Intentione observat (cum ne descriptionem quidem bonæ Intentionis

præmiserit) nec idoneis & veris, sed fabulosis maximam partem exemplis, lemmata, quæ posuit, illustrat: certe scopum quem nobis in præsentî præfiximus, non attingit. Multo autem exquisitius in hoc argumento versati Doctores Scholastici sunt, & ex veteribus quidem *Bonaventura*, ingeniosus homo, & in explanandis Lombardi sententiis perspicuus, quem deinceps magno numero secuti sunt alii, sive Moralis, sive Casuisticæ Theologiæ Interpretes, qui modo latius explicarunt hanc doctrinam, modo cumulatim, ut solent, quæstionibus involverunt magis, parum tamen quod ad usum & scopum nostrum transferri possit, attulerunt.

§. IV. Plurimum autem refert, hanc Tractationem a nomine ordiri. Cum enim omnis doctrina verborum juxta & rerum cognitione absolvatur, vocabula certe, ceu rerum indicia & notæ hoc minus fastidiri debent, quo pluribus quandoque involuta sunt ambiguitatibus, a quibus nisi mature liberaveris illa, nec ipsius rei evitari poterit confusio. Equidem dolet Gabriel Vazquezus, nec apud Aristotelem, Philosophorum Principem, nec apud quenquam Græcorum Patrum, vocabulum quod *Intentioni* exacte respondeat, reperiri. *Disp. XL. C. II. art. 1. p. 276.* Sed supervacaneam hanc ἀκριβειαν esse existimo; nam quæ apud Aristotelem occurrit προαίρεσις vox, a Cicerone, aliisque Scriptoribus Romanis constanter *propositum* appellatur, adeoque *Intentionis* vim & potestatem satis exhaurit. Est enim προαίρεσις Judice hoc Philosopho, ἀπὸ τῆς προαιρετῆς dicta, προαιρετὸν vero idem, ac ὡς ὄν πρὸς ἑτέρων αἰρετὸν, id est: *Quod præ aliis optabile & amplectendum. Libr. III. Etb. C. IV.* Non nego quidem, προαίρεσιν, si pro consultatione accipiatur & *potentiam cognoscitivam* arguat, a Synonymis *Intentionis* excludi; quandoquidem ἐξέλευσις seu consultatio actus tantum intellectus est; nec consultamus de finibus, sed de mediis ad finem ducentibus: ἢ περὶ τῶν τελῶν, ἀλλὰ περὶ τῶν, πρὸς τὰ λείλη, ut

ut

ut ibidem tradit Philosophus; attamen ubi desiderium voluntatis notat & ὄρεξις, sive appetentiam includit, ex antecedente ἐβλέυσει subortam, quo sensu Philosophus pergīt: ἐκ τῆς ἐβλέυσεως γὰρ κρῖναντες, ὄρεγόμεθα κατὰ τὴν ἐβλέυσειν. id est: postquam, consultatione adhibita, de re consultavimus, juxta hanc consultationem eam appetimus. *Libr. III. C. V. Etb.* tum certe parum, aut nihil discriminis inter *Proeresin* & *Intentionem* intercedere, dixerim. Quod enim Græcis est, ex προαίρεσις aliquid facere, id Latinis Scriptoribus, de industria & voluntate, ex instituto, deliberatione, dedita opera, studioque, & cupiditate aggredi aut perficere. Solent enim ista, per *Expolitionem* ut Rhetores vocant, non raro cumulari, juxta illud Tullii: de voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius, & cupiditate nihil dubito. *Libr. XII. Epist. 26. ad Atticum.*

§. V. Nec in Sacris desunt vocabula, quæ Intentionis vim & significationem exprimant. Nam Bonaventuræ judicio *Lib. II. d. XL.* Illud Christi effatum Matth. VII. v. 17. 18. de bona arbore fructus bonos faciente, huc pertinet. Quandoquidem nomine arboris bona, non tam mentem, quam voluntatem significari Interpretes docent, ex qua, si mala fuerit, non possunt non, velut ex radice mala, vitiiati fructus exsurgere. Ut rectius, de homine fideli, & cum DEO reconciliato, explicandum id esse, contextus svadeat. Sunt etiam, qui illam Servatoris sententiam huc referunt: *Lucerna corporis est oculus, quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quod si malus fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* *Luc. XI. v. 34.* Quem locum de recta intentione quoque Augustinus explicat, apud *Drexel. Lib. I. C. III.* Quod enim Lucerna in domo, aut quod oculus in corpore est: idem mens & affectus voluntatis in anima. Si proinde sincerus sit oculus intentionis, nec pravis affectibus obfuscatus, totum quoque hominis corpus id est, integrum hominis officium ad regulam honestatis dirigitur. Itaque præclare Gregorius:

gorius: Quid per oculum, inquit, exprimitur, nisi opus suum, preveniens cordis intentio? Quae priusquam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur? nisi unaquaeque actio, quae intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur. Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonae intentionis radium, merita illustrantur actionis. Lib. XXIX. Mor. C. VI. Denique, cum omnis actio moralis & ad legem ceu regulam normanda, & ex bona intentione aestimanda sit; utrumque illo Christi praeccepto, contineri Celeb. Pufendorfius observat, quo *DEum & proximum, ex toto corde, ex tota anima omnibusque ejus viribus; id est plenissima, ut ipse interpretatur, intentione diligere jubemur. de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. c. VIII. p. 135.*

§. VI. Sed, ut ad rem ipsam propius accedamus; non est nobis in praesenti cum Dialecticis negotium, qui intentionem aliam primam, aliam secundam faciunt, & primam quidem vocant nomen primae impositionis, ut homo, secundam vero, nomen secundae impositionis; ut homo est vel genus vel species, id quod latius explicat Dominicus de Flandria, Thomae subtilissimus Interpretes, ita pergens: *Prima Intentio sive prima conceptio, est primarius conceptus, quam habemus de re. Ex hoc autem quod primo concipio naturam hominis per reflexionem operationis intellectus supra se ipsum, concipio ipsam naturam esse in pluribus numero differentibus. Et ideo ipsi attribuitur nomen secundae Intentionis, scilicet species. Ex quo patet, quod homo non est prima Intentio, sed est terminus significans immediate primam Intentionem. Similiter species, non est secunda Intentio, sed est terminus significans secundam conceptionem sive Intentionem, ut patet ex Logicabilibus. L. I. Metaph. Arist. p. 205.*

§. VII. Nec in praesenti moramur Intentionem, quam Pontificii in Ministro Ecclesiae requirunt, Sacramentorum administratione defungente. Nam eo fervoris Tridentina Synodus progressa est, ut anathemate vibraret quos-

cun-

cunque secus sentientes. Ita enim Sess. VII. Can, XI. verba sonant: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri Intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Nimirum, Intentionem Ministri in genericam dispescunt, qua Minister Ecclesie intendit facere quod facit Ecclesia, & specificam, quam rursus vel actualem faciunt qua actu intendit Sacerdos, ex ritu Ecclesie celebrandi Missam, vel habitualem, quæ dicit habitum derelictum ex actu Intentionis frequentato, vel denique virtualem, quæ ex virtute Intentionis actualis, veluti ex radice procedit in opus. Jam nec actualem, nec omnino semper habitualem, a Ministro Ecclesie requiri ajunt, sed virtualem sufficere, veluti rem explicat Gabriel Biel *Expos. Liter. Sect. VI. f. 8.* Ut in hac causa mirum quantum dissentiant Scriptores Pontificii. Nam quidam Thomam secuti, habitualem ad perfectionem Sacramenti existimant sufficere; alii ad mentem Scoti, non habitualem sed virtualem exigunt, quippe quæ hujusmodi esse dicunt, ut Minister sub ingressum templi saltem cogitaverit de administrando Baptismo, licet postea cogitationibus distractus, ne animus quidem Sacris intentum amplius habeat. Quos proinde ceu fratres Cadmæos inter se committit Chamier, nec aliud discrimen inter virtualem & actualem esse ostendit, quam si quis dicat: *mulierem mediam esse inter hominem & pecudem, cum tamen sit homo etiam ipsa.* *Panstr. Libr. I. C. XIX. de Sacr.* Nos si quid in hac Controversia perspicimus, Intentionem Ministris aliam ad integritatem Sacramenti, aliam ad qualitatem Ministri spectare dicimus; illa facit, ut actio Sacramenti juxta institutionem Christi, ex consensu Ecclesie orthodoxæ celebretur, quam quidem quia muneris ratio exigit, equis neget Ministro Ecclesie incumbere? hæc vero quæ ad fidem vitamque ejus pertinet, & Sacerdotem ornat juxta & perficit, dignam quidem Ministro Ecclesie esse docemus, neque tamen si deficiat, quicquam vel integritati Sacramenti,

menti, vel ejusdem fructui decedere existimamus. Namque hoc illud est, quod jam suo tempore in Pontificiis notant pii Confessores, ideoque *Art. VIII. A. Conf.* eosdem stringunt, sed qua sunt moderatione, non nisi in Donatistis; qui sentiebant: *Ministerium malorum inutile & inefficax esse.* Nec aliter statum Controversiæ B. Chemnitius format: *rixæ* inquit; *non sunt de lana caprina, quando de Intentione Ministri disputatur, sed de re magna, & de consolatione, qua conscientis necessaria est, agitur: an scilicet fides, veritatem & efficaciam Sacramentorum querere & constituere debeat in veritate DEI instituentis & in virtute DEI promittentis, & juxta promissionem in actione Sacramentorum operantis: an vero divina illa veritas & virtus suspendenda sit ab hominis Ministri cogitatione, fide & Intentione?* *Exam. Concil. Trid. p. 225.* Itaque cum & in hac causa suspectum olim sese reddidisset Calixtus, postea vero per *Intentionem baptizantis*, nihil aliud sibi, quam quod formam Baptismi absolvat, intellectum fuisse responderet, hanc Calixti explicationem, ut menti *Aug. Conf.* conformem, admittit B. Glassius, ac probat, *In dem Bedencken von den Helmstädtischen Streitigkeiten. p. 110.* Ut proinde non dubitem, eandem hanc esse, quam nobis denuo Pietistæ movent, camarinam: quippe qui Ministrum Ecclesiæ, cujus bona Intentio vel sanctimonia spectata non sit, efficaciter & cum fructu, vel annunciare DEI verbum, vel administrare Sacramenta posse, cum Donatistis & Pontificiis, inficiantur. vid. *Theolog. Argent. Abgenöthigter Bericht von der Pietistischen Bruderschaft. C. IV. §. 15. p. 222. seqq.*

§. IIX. Sed de his veluti *ἐν παρόδῳ*. Nunc enim quid ipsa Intentio sit, videndum, & ex Scriptoribus potissimum Moralibus explicandum est. Ne vero ex eorum mente, desit descriptio; *Intentio*, morali sensu accepta, nihil aliud, quam *actus voluntatis elicitus est, quo illa ad finem*
per

per media assequendum solícite annítitur, ut eo tandem fruatur. Qui vel per actum Intellectus, vel per motum appetitus rationalis; vel per desiderium efficax Intentionem definiunt, eorum in præsentí, causas non moramur. Ac ne cum illis quidem contendimus, qui per actum mixtum, id est rationis æque ac voluntatis, Intentionem describunt, quam sententiam Bonaventura propugnat. L. II. d. 38. a quo tamen ceteri fere omnes disfidet, & solius voluntatis actum esse contendunt, cum ordine ad Intellectum proponentem seu dirigentem, ut loquitur Vazquez. Disp. in Prim. Secund. ar. 1. DXL. p. 274. Sed facile componitur hæc liticula, distinctione, in circulis Philosophorum usitata: siquidem intellectus ad Intentionem concurrit, antecedenter, remote ac præsuppositivè; voluntas vero proxime, formaliter atque elicitive, sic, ut sine appetentia finis (quam omnes norunt actum voluntatis esse) ne concipi quidem posse Intentionem existimem; conf. B. Ræbrenseus noster, qui in hoc studii genere vix habuit parem, Prudent. Moral. P. II. C. III. Porro autem actus voluntatis, in elicitos seu interiores, & in imperatos seu exteriores distingui constat; ac priores quidem illi sunt, quos voluntas proxime, virtualiter & immediate per se ipsam producit ac in se recipit, cujusmodi sunt: amor, desiderium, electio, & delectatio; posteriores vero imperati vocantur, quod voluntas in alias potentias quoddam quasi imperium sibi sumat, easque ad operandum compellat & adigat. Ut proinde nihil obstet, quo minus Intentionem ad actum voluntatis, & illum quidem elicítum referamus. Quandoquidem in eo, ceu genere, amor, desiderium, electio, delectio & Intentione conveniunt. Quo de conferendus Azorius in Inst. Mor. p. 47.

§. IX. Sed nec dum satis constat, de Intentionis natura & indole nisi in rationes ejus específicas inquiramus, easdemque per leges methodi, ex causarum συγγεωμῆν colligamus. Itaque hic actus I.) ratione Subjecti, ab animantibus intellectu carentibus

B.

tibus

1008
tibus differt, & solis hominibus vindicatur, qui ratione & voluntate pollent. Tametsi bruta enim etiam animantia bonum sibi jucundum, ceu finem appetant, tamen cum nec percipiant proportionem mediorum, ad finem ordinatam, nec ipsamet eligant media, ad finem consequendum idonea; ultro patet, *Intentionis actum*, proprie loquendo, iis tribui haud posse. Itaque *ὀρεῖται* quidem, sive instinctum naturalem brutis competere dixeris, quo in bonum, naturæ suæ congruum, ferantur; minime vero *Intentionem*, ex prævia mediorum electione profectam. Si enim v.g. aranea telam exorsura, non intendit capere muscas, nec ideo muscas captat, ut famem sedare & conservare naturam intendat, sed omnia hæc naturali quodam impetu, quem DEUS, per naturam eidem inseverat, perficit. Qua de re vid. *Thom. 1. 2. q. 12. a. 5. q. 13. Layman. Theol. Moral. L. I. C. II. p. 15. Deinde II.) ratione objecti*, a ceteris actibus consimilibus distinguitur *Intentio*. Nam *electio* pro objecto agnoscit media, *delectatio* circa finem jam obtentum, in quo acquiescit, occupatur; *Intentio* contra non nisi finem respicit absentem, eundemque per media obtinendum. Ex quo simul illud conficitur, prorsus non coincidere *Intentionem & finem*. Etsi enim interdum pro *fine*, ex vulgi fermone accipiatur, tamen, in præsentia, vulgi ratio habenda non est, quandoquidem finis ipsummet est objectum, in quod fertur *Intentio*, quod unice appetit & quærit; *Intentio* vero actus est, qui ab hoc objecto, sive turpi, sive honesto, specificatur. Ubi quidem & de eo disquiritur: num quis possit plures simul intendere fines? nec quicquam dubii est, de *finibus, sibi invicem subordinatis*, quandoquidem Studiosus intendere simul potest & dignitatem Ecclesiasticam, & salutem Ecclesiæ, & DEI gloriam, & suam ipsius utilitatem; Sed, num plures, & *illi quidem non subordinati* invicem fines, appeti simul queant, quæstio est? ut, num quis dignitatem militarem simul &

& Episcopatum; spartam Consulis oppidani, & Professoris Academici, ambire queat? Quod concedendum esse, res ipsa loquitur. *Uti enim, Vazquez inquit, intellectus plura intelligere potest, per modum plurium, non tamen ita perfecte, ac se per modum unius, aut ut unum solum cognosceret, eodem modo voluntas potest appetere plura, per modum plurium, non tamen tanto conatu ac perfectione, quanto appeteret, si ea per modum unius, aut unum tantum appeteret. Disp. L. in Prim. Secund. q. 12. art. 4. p. 279. Porro III.)* & *mediorum* mentio injicienda fuit, in *definitione Intentionis*; quippe quorum electionem supponit agens, qui ad finem adspirat. Ubi enim nulla mediorum ratio habita fuit, nec adeo consultatio præcessit atque electio, impetum quidem id dixeris atque præcipitantiam, non vero Intentionem, cordato homine dignam. Inprimis autem IV.) *ratione Formæ*, in efficaci studio nisuque, & conatu consistere Intentionem, statuimus. Quod uno quidem vocabulo ὁρεξιῶν Aristoteles supra dixit. Scriptura autem eleganti quadam ἐξεργασία, hunc nisum atque conatum, per *studium totius animæ, totius cordis, mentis, omniumque virium* exprimit, ad Intentionis formam plenius describendam. Atque hoc pacto, ab actu *spei & desiderii* satis distinguitur; cum plerique omnes sperent æternam salutem, quin & desiderent, neque tamen eo efficaciter annitantur. Quod scite explicat Vazquez, cum *spes & desiderium* inquit, *possunt manere in ratione simplicis & inefficacis affectus, quia feruntur in finem suum, sed non ut consequendum, Intentio autem semper est efficax affectus, opere consequendi finem, Vazquez. Dist. XL. art. 2. p. 276. Denique V.)* *Finis* adjiciendus erat, quem in ipsa finis obtenti fruitione collocamus. Ideo enim brabeum intendit cursor, ut suum illud reddat, ejus etiam præstantia fruatur, eodemque se perpetuo oblectet.

§. X. Ceterum, cum finis, quem homo, ceu objectum suum,

B 2

per-

persequitur, vel natura sua *bonus* sit, vel in se *malus* ac *vitiosus*; hinc sponte resultat distinctio, invulgas nota, qua Intentio, in *bonam* atque *malam* dispescitur. Finis enim, ut pervulgatum illud habet, *discriminat actiones*, ut ut formam actionibus non largiatur. Ac de mala quidem *Intentione* nihil addo; nisi quod in *occultam*, seu *specie recti obiectam*; & *apertam*, seu *publicam* distingui possit, ultra proinde graviores det poenam, disquirunt Doctores. Nam, etsi hi modi actionem non variant, plurimum tamen augent ejus pravitatem, vel imminuunt. Quid, quod aliquando novam actionis speciem generent, atque hoc gravius puniantur. Quo pacto *furtum* cum occulte peragitur, specie differt a *rapina*, similiter *obtrectatio*, a *contumelia*, & sic in ceteris. *vid. Less. de Just. & Jur. Libr. II. C. 12. p. 113.* Quantum ad *bonam intentionem* spectat, ea vicissim vel *inadequate talis* est, quæ alias etiam *Intentio boni*, ab objecto suo, vocari solet; vel *adequate & complete dicta*, quæ, dum bonitatem actionis, secundum omnes causas & circumstantias involvit, cum ipsa *actione* bona retrocurrit. Nobis tamen in præsentia, de *Intentione*, *priori sensu* accepta potissimum sermo est. Cum non de *actione bona* in universonum, sed de hoc præcipuo ejus requisito, scilicet *bona*, in cœpto negotio, *Intentione*, disquiramus.

§. XI. Itaque princeps in hoc argumento Quæstio huc redit: *An, si quis in causis fidei quicquam immutet, prætensa bona Intentione, a præpostero novitatis studio, excusari possit?* Quod *ζητημα* antequam expediamus, de *bonitate moralis actionis*, pauca quædam præmittenda sunt, ne aera feriamus, sed lucem sceneremur dicendis. Nimirum præclara est regula, quam ex Dionysio Arcopagita, plerumque, petunt Doctores *Moralis Prudentiæ*: *Bonum est ex integra causa, malum ex quovis defectu.* Nec nego hoc velut compendium dictorum esse,

esse, apud Dionysium, postquam de origine mali & boni
 fusius disputaverat. *Libr. de Div. Nom. C. IV. p. 263.* Sed cur ex
 Pseudo-Dionysio arcessamus? quod multo disertius, expli-
 cat divinus Legis moralis interpres, Jacobus: *qui perspe-*
xerit in Legem perfectam libertatis, (id est; quæ libertati Chri-
stianæ convenit Gal. C. V. v. 13, 14.) & permanserit in illa; hic
ubi non fuerit auditor obliviosus, sed effectior operis; beatus (excul-
patus) factus suo erit: Qui vero Legem servaverit totam, offenderit
autem in uno, factus est omnium reus. Jac. C. I. v. 25. & C. II. v. 10.
 Quod, uti ad constitutionem actionis moraliter bonæ suffi-
 cit; ita plenitudinem officii, Christiano homine digni, non-
 dum exhaurit; nisi illud Pauli insuper accedat; *Quicquid non*
est ex fide, peccatum est. Rom. C. XIV. v. 23.

§. XII. Atque ut paulo clarius id pateat, actionis bonitas,
 vel νομικῶς consideratur, quatenus Legi divinæ conformis
 est, vel εὐαγγελικῶς, in quantum fide animatur, & a Subjecto,
 cum DEO reconciliato, proficiscitur. Ac proinde distin-
 guendum diligenter est, inter formam bonæ actionis *essentia-*
lem, quæ spectatur in statu absoluto; & *accidentalem*, quæ homi-
 nem respicit sub statu gratiæ & Evangelii: illa consistit in
 congruentia cum Lege; hæc in sanctificatione fidei. Quod-
 si cum lege congruunt *opera*, tum moraliter *bona* dicuntur,
 ubi vero ex fide oriuntur, tum demum DEO *grata* atque
accepta redduntur; Quandoquidem, *sine fide, impossibile est*
placere DEO. Hebr. C. XI. v. 6. Utrumque igitur ad actionem
 hominis Christiani concurrat, necesse est; cum verbum
 Legis, quod rationem *normæ & regulæ*, tum verbum Evange-
 lii, quod rationem *principii immediati* sustineat. Per illud
 quidem *actio* redditur bona, per hoc vero *Subjectum agens*
 bonum evadit, ut, docente Christo: *instar bonæ arboris sit, quæ*
fructus etiam sibi similes, id est, bonos ferat. Matth. C. VII. v.
17. Nam sicut palmes, Christus inquit, non potest ferre fructus

a se ipso, si non manserit in vite, ita nec vos, nisi in me manseritis; ego sum vitis, vos palmites, sine me non potestis facere quicquam. Job, C. XV. v. 4. 5. Congruat igitur opus Legi divinæ, quod peragit homo non renatus, tamen adhuc ἔργον ἀκαρπύον seu opus infrugiferum erit. Epb. c. V. v. 11. Sed tum demum erit fructuosum, Deoque acceptum, cum ex fide promanaverit, ceu *fructus Spiritus*, Gal. c. V. v. 22.

§. XIII. Quæ vero illa συνδρομή causarum sit, unde actio moraliter bona dicatur, de eo præcipiunt Moralium Doctores; & bonitatem, vel *intrinsece* & *a priori*, spectant; vel *extrinsece* & *a posteriori*. Saltem in eo non conveniunt satis, an concursus ille causarum, an vero conformitas cum recta ratione *internam* boni rationem constituat? *Vera* & *interna ratio boni* & *mali moralis*, Hornejus inquit, *in sola illa conformitate cum recta ratione & lege, aut exorbitantia ab ea consistit. Dico internam hanc esse rationem ejus: Quod si enim id externum est, ut quidam vult, ecquid internum erit?* Philos. Moral. Libr. II. C. VII. p. 250. In quo quidem veterum complurium impetrat consensum. At qui tamen paulo exquisitius in hoc argumento versantur Bonitatem Actionis moralis *intrinsecam* ponunt in perfectione, actioni in genere moris inesse debita; *extrinsecam* vero æstimant ex conformitate actus cum lege, ceu regula. Atque hoc ipso evincunt, bonitatem moralem *antecedenter* se habere ad voluntatem divinam. Ratio, quod alii actus *extrinsece* sint boni, alii *intrinsece* mali, *antecedenter* quoque ad divinam voluntatem, petitur ab objecto, ejusque ratione *moralis immutabili*, ex eo, quod, & prout aliquid cum ipso objecto *humana natura est immutabiliter sub ratione quadam morali conveniens*, ut præclare docet Vener. D. Zentgravius, ubi de hoc argumento ex instituto agit, Orig. Jur. Nat. p. 168. Itaque *prima & principalis bonitas ab Objecto est*, dum voluntas fertur in rem per se honestam, quacum actus voluntatis unitur

unitur

unitur quasi & copulatur. Nam ut moralitas competit objecto, ita quoque actui, in unione, morali spectato, a quo mediante ista unione, tuam cum bonitatem, tum malitiam obtinet. Sic, quia DEUS per essentiam bonus, atque adorabilis est, amoris atque adorationis actus ei sic conveniunt, ut cum hoc objecto copulati, primam suam bonitatem hinc impetrent, adeoque, vel inde actus boni appellentur. Quem admodum ex adverso, idolum, ex lapide vel auto confectum, nec natura bonum, nec adorabile est, eoque iamorem & cultum respuit, nec si ametur vel adoretur, moralem bonitatem actui impertitur. Itaque & ratio illa objectiva præceptum fundat de amando & colendo DEO; ut in objecto per se indifferenti, bonitas actus, a præcepto demum oriatur. Id quod Lud. Molina sic edisserit: *Obligatio Juris Naturalis oritur a natura objecti, & diffundit sese in præceptum; contrario, obligatio juris positivi oritur a præcepto & sese diffundit in Objectum. De Just. & Jure T. I. D. III. n. 2.*

§. XIV. Altera bonitatis moralis species a Fine confurgit. Sicut enim, inquit Thomas, in 2. Sent. Q. 18. a. 4. esse rei, dependet ab agente & forma, sic bonitas rei, a fine. Ac proinde amare & colere DEUM, bonum quidem est ex Objecto, accedat vero oportet, ut id fiat non alio animo atque proposito, quam ut, qua licet, Creatoris gloriam promoveamus, eidemq; internam animi submissionem, gratamque infinitorum beneficiorum memoriam declarem. Utramque bonitatis speciem cum Apostolus in cultu gentilium desideret, ideo illum detestatur: *nam loco DEI, imaginem hominis & bestiae coluerant, & creaturas extulerant supra eum qui condidit illas, nec, quantum ad finem attinet, DEUM glorificaverant. Rom. C. I. 23. 25.*

§. XV. Tertiam bonitatis moralis speciem, a modo agendi deducunt auctores, quem *circumstantiarum* nomine comprehendent.

dunt. Græci περίστροφής appellant, sumpto a Rhetoribus, ut videtur, vocabulo, qui peculiare quoddam causarum genus περίστροφής nomine efferunt, Quintiliano dicente: *hoc genus argumentorum ducamus ex circumstantia, quia περίστροφής aliter dicere non possumus. Libr. X. C. V.* Aristoteles has circumstantias τὰ ἑκαστα id est, *singula* appellat; haud dubie, quod singularia quasi actionis sint, ex quorum concursu, vel nova bonitatis & malitiæ species oriatur, vel mirifice augeatur. *Lib. III. C. II. Ethic.* Unde Vazquez colligit, *circumstantias non esse accidentaria extrinseca actionis, quæ ei tantum tribuant modum accidentarium, additum substantiæ ipsius; sed esse singularia aut circumstantias ad substantiam actionis, & non modum accidentarium ipsius pertinentia. Disp. XXX. in Prim. Secund. p. 209.* Quamobrem non desunt, qui distinguunt circumstantias, in *essentiales & accidentales*. Ac priores quidem vocant, quæ ad actus honestatem vel turpitudinem, omnino sunt necessariae, ac novam vel bonitatis, vel pravitatis speciem gignunt; Posteriores vero, quæ moralitatis actum augent saltem, vel imminuunt: quod de nos uberius informavit Dn. Præses in *Theol. Morali atque Casuistica*, nuper admodum finita. *P. II. Sect. II. Q. XII.* Sed nec de numero circumstantiarum inter se Autores, qua veteres, qua moderni conveniunt. Rhetores enim, has circumstantias, quasi locos enumerant, adeoque *decem*, ut plurimum, sedes constituunt, ex quibus argumenta depromantur. Quem numerum alii vicissim excedunt, uti ex libellis methodicis notum est. Moralis autem Prudentiæ doctores, Aristotelem secuti, *septem* potissimum designant circumstantias, quarum in quolibet actu sese necessitas exferat. Ita enim Aristoteles præcipit, ut in quavis actione, observetur: τίς seu *Quis*, deinde τί seu *quid*; ulterius, περί τι seu *circa quid*; porro διὸν ὄργανον quo velut instrumento; præterea πῶς, *quomodo*; amplius: ἐν τίνι in quo, scilicet *tempore vel loco*,
&

& denique; ἕνεκα τινος, *cujus gratia suscipiatur: Arist. L. III. c. 2. Ethic.* Scholastici autem, Thoma, ut Vazquezius notat, auctore, hoc versiculo, τὰ περιστατικά *cujuscunque actionis complectuntur: Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?* Nec multum discedunt ab Aristotele, nisi quod hic περιστασιν *circa quid*, distinguat a circumstantia, *quid*; illi vero *locum & tempus* se paratim numerent, quæ tamen Philosophus τῷ ἐν τίνι involvit. Fateor sane, nec omnes *circumstantias*, hoc πολυθρολήτω contineri, quod & jam pridem ab aliis observatum; nec *causas* ipsas, a *circumstantiis* satis distingui, quandoquidem τὸ *Quis? causam efficientem*; τὸ *Cur? finem*; τὸ *Quid? Objectum*; τὸ *Quomodo?* ipsam *formam*; tandem & ipsa *auxilia; causam instrumentalem*, seu *media* involvunt. Quo pacto non nisi duæ *circumstantia*, proprie loquendo, superesse videntur; scilicet *Ubi & quando* seu *locus & tempus*. Atque hinc est, quod adeo se fatigent Scholastici, in ipsa explicacione circumstantiarum. Nam per τὸ *Quid?* non *Objectum* actionis, cujusmodi est res aliena in furto, sed *quantitatem* indigitari volunt; utrum plus vel minus fur quidam furripuerit, per τὸ *cur* autem; non *finem operantis*, qui cum *Intentione* coincidat, sed *finem operis* intelligi existimant. Alii *Intentionem* ipsam distinguunt, & *proprie formaliterque* sumptam, prout *actum intendendi*, seu *motum voluntatis*, in finem, per *mediatendentis*, notat, ad *substantiam actionis*, ut nos supra, referunt; *materialiter* vero & *objective*, pro *re ipsa intenta*, id est, pro fine, quem persequitur voluntas acceptam, circumstantiis annumerant. Interim, quæcunque vocis acceptio, locum inveniatur, *nullo tamen modo*, ut recte concludit Sander-sonius, *Intentio sufficit ad hoc, ut actus aliquis aliunde malus, fiat bonus. Tract. de Conscientia p. 54.*

§. XVI. Utique eo usque non sufficit *Intentio*. Nam utut plena & perfecta videatur *actionis bonitas interna*, hactenus explicata; tamen ad normam *rectitudinis* examinata;

C

ta,

ta, sæpe adhuc defectibus laborat quam plurimis. At que hæc illa *bonitas moralis extrinseca* est, quæ ex conformitate actus cum lege, ceu regula sua, æstimanda venit. Cum vero ratio sibi relicta, vix τὰ τῶ νόμος assequatur, Rom. II. 14. haud alia verior, vel ad dijudicandos errores accommodatior, regula existit, quam Lex, a Mose tradita, & a Christo repetita ac vindicata. Hæc enim ita perfecta est, ut nec *additionem* admittat, nec *detractionem*, Deut. XII. 32. in hac certe, vel rigidissimus Phariseus perspicit, etiam *primos concupiscentia motus*, *cogitationes* item, & *affectus exorbitantes*, peccatis accenseri, Rom. VII. 7. Matth. V. 28. Matth. XV. 18. 19. 20. Hæc illa *lux semitis nostris*, quæ nullum non revelat peccatum & quamvis transgressionem ἀνομίας seu *defectionis a Lege*, nomine describit. 1. Job. III. 4.

§. XVII. Positis itaque his omnibus, bonæ actionis requisitis, rectum quidem officium, vel, ut Græci vocant, κατὸρθεωμα, hinc, oritur, sed quia ex fide profectum non est, nec εὐαγγελικῶς bonum, nec dignum Christiano homine officium censeri debet. Nam *charitas* ἐκ πίστεως ἀνυποκρίτως, i. e. *ex fide non simulata*, est, 1. Tim. I. 5. Unde etiam *fides per charitatem operosa & efficax* dicitur. Gal. V. 6. Quin & *cor ipsum hominis, per fidem purificatur*. Act. XV. 9. Quo quidem fonte non purificato, quis rivulos sibi puriores polliceatur? Nam *impuris & infidelibus nihil purum est, sed polluta ipsorum mens & conscientia*, Tit. I. 15. Itaque Petrus, catenam virtutum nectens, primum quasi articulum, ceu anulum, facit *fidem cui virtutem, totumque virtutum choragium* innectit, & dehinc colligit, has actiones *non inertes aut infructuosas esse*, 2. Pet. I. 5. 6. Ex quibus omnibus manifestum est, multo plura, ad officium, cum *moraliter*, tum *Evangelice bonum*, Deoque acceptum, requiri, quam *bonam illam*, quæ in Sacrorum innovatione, prætexi solet, *Intentionem*. Id quod adeo primum, pro neganda hac *Quæstione*, argumentum est.

§. XIX.

§. XIII. *Alterum*, quod hujusmodi Sacrorum Novatoribus opponendum, ex regula Paulina depromimus, qua prohibetur, *non esse facienda mala, ut inde eveniant bona*, Rom. III. 8. Nimirum, docuerat Apostolus, *per injustitiam nostram, vel maxime commendari justitiam DEI. v. 5.* (exacto videlicet *λότρω* pro peccatis nostris,) *ipsoque hominum mendacio, veritatem DEI mirifice illustrari v. 7.* (Paganis scilicet de idololatria & superstitione, ex verbo DEI convictis.) Hinc irrisores & empectæ inferebant; quid igitur causæ est; cur *ἀνομίαν* & peccatum vitemus, unde tanta ad DEum justitiæ gloria retundet? & cur refugiamus idololatriam, atque errores paganos, unde tam illustris reddatur DEI veritas? *agedum mala faciamus, ut hac inde bona eveniant.* Quid ad hæc Apostolus? non verbis & disputationibus, cum iis agendum censeret, qui blasphemabant veritatem cœlestem; sed, satis ipsis elenchi erat, hanc detorsionem dixisse *blasphemiam; justamque illorum damnationem*, qui sub boni propositi specie, mala quæcunque committere æquum licitumque putabant, v. 8. Itaque ex mente Apostoli in hunc modum argumentamur: Omnis actio, quæ justam condemnationem meretur, summopere vitanda, & detestanda est. Atqui, *mala facere, in bonum eventum, e. gr. sacra turbare, ad promovendam DEI gloriam & hominum salutem*, hujusmodi est actio; igitur ex judicio Apostoli summopere vitanda, & detestanda est.

§. XIX. *Tertio*, id confirmatur ex sententia Christi. Phariseos & Scribas redarguentis, qui *frustra DEUM coluisse* dicuntur; *docentes doctrinas, quæ non nisi hominum mandata sunt. Matth. XV. v. 9.* Actionis bonitas, vel ex *Objecto* elucebat: quandoquidem *cultus ipsius DEI* erat; nec deesse videbatur: *recta Intentio*, cum & gloriam DEI & salutem proximi haud obscure præ se ferrent. Sed, si ex vero rem dijudicemus, plane non ad regulam divinam normabatur cultus ille, quin, insuper habito præcepto DEI, de *honorandis Parentibus*,

traditionem quandam humanam introduxerant, de Parentibus, ob *νοεβ̄zv*, id est; *votum DEO prestitum* aliquando non juvandis. Siquidem juramenti formula se obstrinxerant liberi, ut de dono sacro, (sive cibus, sive potus sive quidvis aliud vitæ humanæ subsidium esset,) nihil quicquam Parentibus, vel maxime indigis, concederent, sed responderent: *donum hoc, jam DEO devotum est, atque ex hac pietate in DEUM, plurimum utilitatis, ad te redundabit; DEUS enim si quando indigebimus, mihi & tibi, quod in ejus gloriam impendero, cumulate rependet, Vid. Calov. in h. l.* Atque hoc pacto plane evertebant officium, quo filii Parentibus obligantur, dicente Christo: *irritum fecistis præceptum DEI, propter traditionem vestram. v. 6.* Nec proinde *mediis* peragebatur hic cultus, a DEO præscriptis, Servatore pergente: *docetis doctrinas, quæ sunt præcepta hominum v. 9.* Unde proclive est colligere terminos: Quicumque actus est transgressio Præcepti divini, ille haud dubie peccaminosus est. Atqui DEI cultus ex bona *Intentione* susceptus, sed nec ad Legem divinam normatus, nec legitimis mediis peractus, est transgressio Legis. Ergo cultus divinus, ex *Intentione bona*, nec legitimis mediis, peractus, peccaminosus est. Major per se patet: Minor vero ex verbis Christi conficitur: *vos transgredimini præceptum DEI, propter traditionem vestram v. 3. 9.*

§. XX. Sed satis probationum est, in re tam manifesta, & jam ad liquidum producta. Nunc tandem, per in-instituti rationem, ex historia Hæresiologica, quosdam, sive Sectarios & Fanaticos, sive Hæreticos ipsos, intuebimur, qui sub prætextu *bonæ intentionis*, vel sacra immutarunt; vel finistri quicquam, in causa Religionis, admiserunt. Ordiamur a priscis, & cum modernis Ecclesiæ Sectariis, rerum seriem finiamus. De Pharisæis, quorum jam mentio facta, res in propatulo est; bona quippe Intentio, ex illorum Zelo, dum Christi discipulos ex Synagogis ejiciebant, & ex studio cultus, quo sese

fese

fese gratiam promerituros credebant, satis elucescit; sed, quibus mediis hunc promoverunt cultum? certe *non nisi cruenta Christi confessorum cade; nam vos interficient, inquit Servator, & cultum se prestare DEO arbitrabuntur, Job. XVI. 2.* Sed veram istius odii & persecutionis causam, Servator *ἀπιστίαν* statuit; *Ideo id facient, quod neque Patrem, neque me cognoverunt. v. 3.* Atque hi ipsi sunt, qui *Zelum habent, & κατ' ἐπίγνωσιν. Rom. X. 2.* Ignorantes enim DEI justitiam, propriam sibi constituerunt justitiam, nec DEI justitiam, quae est ex fide, subditi fuere. *ib. v. 3.* in quem locum egregie commentatur B. Selneccerus: quantumvis Intentio bona sit, inquit, humano iudicio, videaturque pia, religiosa, Zeli plena & ad optimum finem directa, & studium laude dignissimum sit, secundum arbitrii humani discretionem, ut vocant, delectum, iudicium, & censuram: tamen, si causa efficiens desit, hoc est, DEI voluntas, mandatum & verbum expressum non habetur, evanescit & confunditur omnis *ἐθελοθρησκεία*, electio, studium, opus, cultus, imo est *εὐέλυσμα* & abominatio coram DEO, secundum illud: *Frustra colunt me mandatis hominum. Comm. in h. l. p. 237.*

§. XXI. Quod igitur cultum Pharisaeorum deturpavit, *ἐθελοθρησκείας* & propriae justitiae studium, idem & Pseudo-Apostolorum causam suspectam reddidit. Hi enim ex Judaismo conversi, observationem, cum Circumcisionis, tum Legis Moralis, ad salutem necessariam esse urgebant, *Act. XV. 1. Gal. V. 3.* Equidem Objectum hujus disceptationis divinum erat, ac per se laudabile; nec spernendus finis, qui eo intendebatur ut per *τήρησιν* Legis Moisaicae, voluntati divinae satisfaceret, itaque *νομικῶς* actio non videbatur culpanda, praesertim, quod nemini Judaeo, ut ut converso, ante ipsum templi Hierosolymitani excidium, fas fuerit ritus & ceremonias negligere. Quandoquidem & Apostoli *horas precatationis observasse Act. III. 1.*

1920

nonnullos circumcidisse, Act. XVI. 3. aliquando ex præscripto Legis Mosaicæ, *uotum fecisse & caput rasisse*, Act. XIII. 18. Sed si *εὐαγγελικῶς*, perpendamus hanc contentionem, plane nova hæc molitio erat, & consilio DEI aduersa: nam *δεῖ περιτέμνειν αὐτὸς*, inquit, *καὶ παραγγελλεῖν τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως. c. XV. 5.* Quasi dicerent: oportere legem seruari, neque solam Christi gratiam sufficere ad salutem, nisi propria simul iustitia, cum merito Christi conjungeretur. Quo ipso, ut notant Interpretes, *Syncretismum Judaismi & Christianismi*, meditabantur. Sed iusto hos elencho stringit Apostolus: *Quid tentaris DEUM* (id est, novum, & a consilio DEI alienum, quæritis salutis fundamentum?) *ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus?* addito simul aphorismo Evangelico: *credimus nos, per gratiam Jesu Christi, salvos futuros, quemadmodum & Patres nostri v. 11. 12.*

§. XXII. Sed, dum in recensendis his sumus, mirum videri poterat, cur ad veteris peræque Fœderis exempla non respiciamus, & inde cumprimis huic rei faciamus fidem. Nam sanctissimos etiam viros, ex *bona Intentione* gravissime aliquando lapsos fuisse, quotus quisque est, qui nesciat? Aaronem certe, nihil aliud, quam speciosus ille prætextus ad effabricandum Idolum, induxit. Animus quidem ipsi erat, populum duræ cervicis, conpescere, & adeo amore *novi Idoli*, ceu publici monumenti, in officio, DEO præstando, retinere. Tantumque abest, ut verum DEO cultum denegarit, utpotius exstructo altari, ipsimet Jehovæ solennia parare, eidemque victimas, sub simulacro vituli fusorii, facere allaborarit: quasi, *pravo hoc medio*, majorem populi apostasiam cohibiturus, *Ex. XXXII. 23.* Verum quantopere ob hoc facinus exarsit

rit

rit ira DEI, ex horribili illa, qua tria virorum millia consumpta sunt, cæde perspicitur; v. 28. Unde præclare admodum Brentius: *Quod deliquit Aaron, inquit, non fecit animo peccandi, sed optima, ut videbatur, opinione, (Intentione) videlicet, retinendi populum in officio, & ad cultum DEI assuefaciendum, adeoque DEum ipsum colendi; nihilominus quod fecit, tam horribile peccatum fuit, ut ab impiissima Idololatria & defectione a vero DEO, nihil distet. Quare ad bonas nostras opiniones, semper expavescamus, nec consentiamus in eas, nisi prius exploratas ad Εισαγωγον verbi, reipsa comperiamus, cum verbo DEI convenire. Israelitæ bona opinione comburebant liberos per ignem Moloch, sed designabant impium & crudele homicidium. Judei bona opinione, persequebantur Apostolos, & interficiebant sanctos, sed committebant latrocinium. Non igitur juxta bonam opinionem, sed juxta verbum DEI de factis judicandum est, Comm. in Cap. XXXII. Exod. f. 147.*

§. XXIII. In similem prope Idololatriam, ex bona ut apparet opinione, incidit Gideon *Jud. IX. 26.* Nam & hic ipse ex inauribus, torquibus, aliisque ornamentis, ab hostibus reportatis, *Ephod*, seu cinctorium Sacerdotale, confici jusfit; id est sacrum victoriæ monumentum, hujusmodi, quod filii DEI imaginem, veste sacerdotali indutam, retulit, quæ non spernenda conjectura est B. Schmidii, in h. l. *Intentionem certe optimam ac divinissimam Gideonis fuisse, Brentius observat, ad h. l. Quod enim institutum divinius videri poterat, quam Filii DEI, qui toties apparuerat, colere memoriam? & ad ejus cultum quoque populum excitare. Sed vel divinissima Intentio, si a verbo DEI recedat, & cultum meditetur, non mandatum, in Idololatriam manifestam exit. Nam ad ipsum attende exitum: fornicatus est omnis Israel, cum Ephod, & cessit Gideoni & omni domui ejus in laqueum,*
id

id est, extremam perniciem v. 27. Itaque hanc Intentionem, *superstitionum velamen*, ex vero appellat Schmidius; *neque enim*, inquit, *ut bene sentias & bonum opereris sola bona Intentio requiritur.* Quare per se tantum stare potest, non pro circumstantiis aliis, quin ipsa saepe bona Intentio, per malas alias circumstantias corrumpitur. Habuit Gideon bonam in Ephodo Intentionem, nihilominus Scriptura illum arguit. l.c.

§. XXIV. Nec aliud Idoli genus fuisse existimo, quod in domo sua coluit Micha quidam, Ephraimita, *Jud. XVII. 1. seq.* Nam & hoc *Ephod* appellat textus, quod insuper quibusdam *Theraphim*, id est, ministris DEI, seu diis minoribus, stipatum fuit, ut adeo & DEI, summi & omnium Angelorum cultum, ædibus suis inclusisse videatur. Dux hujus facinoris foemina erat; nam mater ipsius Michæ votum fecerat, de mille & centum argenteis, huic idolo impendendis, quos quidem clam sustulerat filius, sed, execrationibus matris deterritus, restituit ablatum, & in idololatriam consensit; sculptilibusque affabre factis, suum ipsius filium, Sacerdotem præfecit. Non putem hos Idololatrias eum in finem novum cultum instituisse, ut diis alienis, sed omnino ut vero DEO inservirent. *Jehova*, inquit *mulier consecravi hoc argentum; non Diis gentium v. 3.* Sed omnis *Ἰδολοποιία* tandem genitrix idololatriæ est, quocumque demum recti proposito coloretur. Observes enim hic transgressionem verbi divini, *de non faciendo sculptili*, quod latere non poterat Ephraimitas; observes contemptum publici Magistratus; cui cura Sacrorum incumbebat; *bis enim diebus vivebant, ac si non fuisset Rex in Israel, dum quilibet, quod rectum videbatur, faciebat, v. 6.* Itaque nec filius excusari potest, qui suasu Parentis ad idololatriam defecit; nec mater ipsa, quæ in rem

adeo

adeo vanam tot fecerat impensas; quandoquidem, *muli-
eri, in Ecclesia, sive instituenda, sive innovanda tacendum est,*
per Apostoli præceptum *1. Cor. XIV. v. 34.*

§. XXV. Et, quid dicendum nobis de Jeroboamo,
primo illo, post Regnum Israelitarum divisum, domina-
tore? *1. Reg. XII. 26.* De quo dubites, malone, an bono ani-
mo, ad res fidei innovandas accesserit? Nam veritus,
ne populus Israel, hoc est, decem tribus, ad Rechabea-
mum, Regem Juda, deficerent, si propter Sacrificia Hi-
erofolymam proficisci cogerentur; inito, de illis domi riti-
nendis consilio, duos, in Samaria, vitulos aureos ere-
xit, quorum alterum, *in Bethel,* alterum, *in Dan* colloca-
vit, addito edicto, ut omnes Deum Israelis, ritu, in-
ter Israelitas, recepto, sub hisce simulacris colerent,
nec tam longinquo itinere, sibi ipsis molestiam crea-
rent. Equidem haud deerat *πρόφασις* *bonæ intentio-
nis;* quando non alios inducere Deos, sed tres cole-
re Sacro - sanctæ Trinitatis Personas videri volebat: *Ecce,*
inquiabat, Dii tui Israel *יְשׁוּעָה אֱלֹהֵינוּ* *qui te eduxerunt*
é terra Aegypti, v. 27. Nec proinde aliter victimas fieri
jusfit, quam, uti in Lege Mosaica præceptum fue-
rat. DEum, inquiabant Pseudo - Prophetæ, Jacobo ap-
paruisse in Bethel, & cum eo locutum fuisse, adeoque non
tantum Hierosolymis, sed ubique locorum adorari vel-
le. Attamen, si unicam illam *recti Intentionem,* excepe-
ris, quam plerique omnes interpretes Jeroboamo, tri-
buunt, reliqua omnia, adeo scandalosa erant, ut hunc Re-
gem, quandam Principum inpiorum imaginem, dixe-
ris, quorum mos est, veram Religionem, suum ad arbitrium,
attemperare, ut dignitatem saltem, atque potentiam suam au-
geant stabiliantque. Nam præclara ipsi facta promissio fue-
rat,

D

rat,

rat, per Prophetam: *si audieris omnia, quae praecepero tibi & ambulabis in viis meis, ac feceris rectum in oculis meis, servando statuta mea, & praecepta mea, sicut fecit David servus meus; ero tecum, & edificabo tibi domum stabilem, quemadmodum edificavi Davidi, daboque tibi Israel* 1. Reg. XI. 38. Hoc DEI verbo insuper habito, rationi status tantum inferviebat, nec nisi τὸ χερσὸν, seu utile, intendebat, ex retenta, intra Patriae fines, multitudine, sperandum. Praeterea, solennia & festa pro lubitu instituebat, quasi honorem DEI, majori, quam haecenus factum, solertia propagaturus, causamque Religionis & pietatis fervidius multo acturus. v. 33. Tum & alios Sacerdotes conquirebat, qui novitatem cultus ferrent, eamque suis *πιδανολογίαις* populo persvaderent, Levitis interim, cum nec approbare, nec adjuvare novitium hunc cultum vellent, in exilium pulsus; qui proinde sese Hierosolymam recipiebant, ut sincero, quod hic supererat verbi ministerio fungerentur. 2. Paral. XI. v. 14. Quid multis? talis erat Jeroboamus, qui, ex bona intentione, *malum perpetrarat coram Domino, & Israel peccare fecerat.* 1. Reg. XVI. 19.

§. XXVI. Verum, his immorari diutius non licet, quin potius instituti nostri memores, ad Hæresiologyam Novi Testamenti revertimur, & in ipsomet Simone mago, sistimus exemplum, quo edoccamur, ad pessimum quandoque facinus; optimis aliquando mediis, Sectarios adspirare. Act. IIX. 9. Namque hic impostor, Philippo evangelizanti adhærebat, susceptoque Baptismo, gratiæ & salutis medio, inter recte credentes, nomen profitebatur. Conspectis autem Apostolorum miraculis, hic præstigiarum artifex, donum quoque miraculorum, quod alii per fidem
confe-

consequabantur, sibi conferri cupiebat, quodque per hypocrisin, (ex impio quippe mago, factus nihilo melior Christianus,) obtinere non poterat, oblata pecunia, emercari studebat. Petrus igitur perspecta fraude, pecunia inquit, tecum sit in perditionem, quod donum DEI existimasti donis parari. *ib.* Quæ vero causa hujus anathematis? ἢ γὰρ καρδία σου ἐκ ἔστιν εὐθεία ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, v. 21. non enim donum miraculorum quærebat, ut doctrinam Evangelii propagare, sed ut quæstum inde faceret, majoremque sibi adjungeret multitudinem, adeoque auram popularem, inter Samaritanos captaret. v. 23.

§. XXVII. Jam non hæresin, sed integram Hæreticorum classem observo, quæ ex bona Intentione, imo, ex studio defendendæ ἀναμαρτησίας Christi, in, pestilentissimum errorem incidit, & veritatem humanæ Christi naturæ in dubium vocavit. Nimirum, erant prioribus Christi Seculis Δοκηταί, seu Φαντασιασταί, ideo sic dicti, quod humanam Christi naturam, nec veram, nec nostræ ὁμοίον dicerent, in imaginariam & fictam; eandemque, vel ex cælo allatam, vel ex aere & elementis conflata, vel specietenus adumbratam fuisse, contenderent. Hujasmodi erant πρόδρομοι ipsi Anti-Christi, qui dicente Johanne, non confitebatur Jesum Christum venisse in carnem. 1. Ep. II. 22. Ejusdem quoque furturis erant Saturniliani, qui Irenæo teste, Christum revera, non natum sed putative tantum hominem fuisse c. Hæres. L. 1. c. XXIII. vel, juxta Tertullianum, in phantasmate tantum venisse, tradebant. Præscript. Hæret. c. XLVI. Tales idem Basilidiani, quorum assertum, perinde impium erat, Christum tantum phantasma fuisse, ac revera, non crucifixum, sed pro eo Simonem Cyreneum mortem subisse; quod de videndus Clem. Alex. L. IV. Strom. p. 368. item, L. VII. p.

549. Imprimis autem Valentiniani, hunc errorem fovebant, quando Christum *e coelo detulisse corpus, ac per Mariam virginem, velut aquam per canalem, transisse; nec ex utero ejus quicquam assumpsisse*, Epiphanio & Tertulliano autoribus, perhibentur, *vid. Epiph. Hæres. xxxi. §. 7. Tert. de Prescript. C. XLIX.* Nec alieni hinc erant Carpocratiani, Heracleonitæ, Ophitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi & Priscillianistæ, quorum prodigiosas sententias, cum, qui Catalogos hæresium condidit, tum, qui in eosdem commentati sunt, ubertim exhibent, quo nomine eruditissima Dn. D. Ittigii, commentatio, quæ reliquis facile omnibus palmam præripit, hic commendanda est. Sæpe me torfit, tam pertinax Hæreticorum, in defendendo hujusmodi delirio, consensus, donec ex certaminibus, hætenus agitis, cognoscere licuit, omnes hos Hæresiarchas, aut ex Schola Platonis, aut ex porticu Zenonis prodiisse, quorum utrorumque hypothesis erat: materiam, unde caro nostra originem ducit, omnis mali fontem, ipsiusque infernalis genii sobolem esse. Hac igitur hypothesis suffulti, religioni sibi duxerunt, Christo corpus, ceu omnis pravitatis peccaminosæ receptaculum, tribuere. Proinde, ne Christum, cujusdam peccabilitatis insimularent, ipsius veritatem carnis inficiati sunt. *An igitur metus est, Athanasius quærit, ne contagionem peccati sentiat, si ipse cum DEUS sit, verus & integer homo fiat? De Incarnat. Chr. T. I. p. 27.* Itaque in hac causa Intentionem recti obtendunt: *Quomodo, inquit, potest humana natura, in consuetudine peccandi versata, propagationem peccati recipiens, a peccato libera esse? est enim hoc impossibile, erit igitur Christus, ut alius quisquis, peccato obnoxius; apud eundem Athanas. de Salut. Chr. Atv. p. 639.* Hinc est, Fulgentius inquit, *quod Manichæus, in DEO vero*
veram

veram carnem formidat credere, cum humanam carnem non vitio culpa, sed naturali credens proprietate pollutam, naturam malignam sibi mendaciter fingit, cui tantam virtutem cæcus attribuit, ut si crediderit, verum DEum, veram carnis assum- sisse naturam, divinitatem, quam fallaci professione dicit inqui- nabilem, carnis non credat pollutionis expertem: Et ideo in Christo, carnis phantasmam credere maluit, quam naturam: Et dum infirmitatem humanam, ab illa susceptam, medicinali vir- tute, non vidit: semetipsum miser, a remedio salutis exclusit. L. I. C. V. ad Trasmund. p. 130. At, non decebat tenebras quærere, ad accendendam veritatem, quæ sua jam luce radiat, nec conveniebat, mysterium fidei, ex hypothe- si pagana adstruere; quandoquidem, ex hoc del. r. amen- to, Christi, & conceptio, & nativitas, passioque & cruci- fixio, adeoque meritum ejus univèrsum evertebatur. Istiusmodi cogitationes, verba Athanasii sunt, nimia impieta- te scatent, nam cur in definiendo peccato, ex natura, peccatum esse asseritis, idque ex opinione impiissimi Manichei: hæc dum sentitis, criminatores vos ostenditis opificii naturæ. De Incarnat. JES. Chr. p. 627.

§. XXVIII, Porro, & alia existit Hæreticorum co- hors, quos communi quodam nomine ἀψύχης saluta- vit antiquitas, eo, quod, vel animam, vel mentem ra- tionalem, Christum assumpsisse, iustificarentur; quem in- censum Apollinaristæ præcipue, veniunt, Dimoeritæ item, Eunominiani, & qui per omnes fere orientis Ecclesias errorem propagarunt, Thimothæus atque Vitalis; sic ut, Petavio iudice: omnes propemodum hæreses quæ verum Et Catholicum incarnationis dogma, labefactare conata sunt, ex Apollinaris fonte fluxerint. Dogmat. T. IV. p. 24. Summa istius erroris huc redibat: Christum, corpus tantum ἀψύχον, suscepisse, aut si de anima irascibili Et concupiscibili id concederetur, mentem

tamen, sive $\nu\delta\nu$ non assumpsisse; sed λόγον ἡγεμονικὸν hanc vicem supplevisse. Quo de vid. Theodoret. Fab. Heret. p. 40. & Sozom. L. II. c. XXXVI. item Vincent. Lirinens. contra Heres. C. XVII. & XXI. Ecquiae autem fuit, quod Apollinarem, ejusque asseclas, in hunc errorem abripuit? Equidem e Platonica Philosophia haustum fuisse illum, Nemesius affirmat: quidam, ait, ex quibus est Plotinus, aliud putant esse animam, & aliud mentem, statucentes, ex tribus velut constare hominem, ex corpore, anima & mente. Hos secutus est Apollinaris, Laodicea Episcopus. Hoc enim jactato fundamento sententiae suae, reliqua, dogmati suo consentanea, superstruxit. De Nat. Hom. C. II. p. 622. Bibl. Patr. Sed ex Petavii iudicio, bona fuit Intentio: hoc modo inquit, consulere se Christi ἀναμαρτυρία, id est, impeccabilitati putabant; quam tolli e medio, stulte arbitrabantur, si mens inesse illius animae diceretur, T. IV. Dogmat. p. 27. Ast, aliter de his orthodoxa judicabat antiquitas. Nam, cum Apollinaristae, apud Athanasium, sic dimicarent: si omnia assumpsit Christus, omnia quoque mentem, cogitandique vim humanam assumpsit: atqui impossibile est, in humanis cogitationibus peccatum non versari: quando igitur Christus absque peccato erit? inane hoc effugium ex solido refellit Athanasius, quem vide, Lib. de Salutar. Adv. Christi p. 637.

§. XXIX. Equidem, Sectariorum quamplurimos, etiam ex malo animi proposito, causas Religionis innovasse, quis dubitet? id quod nonnulli aliquando aperte produnt; alii vero, ne bonae intentionis laude excidant, callide dissimulant ac tegunt. Ita Nicolaitas, promiscuas mulierum consuetudines, aliasque permisiones obscenas admisisse & ceu rem licitam docuisse, testantur Irenaeus. L. I. C. XXVII. & Epiphanius Heres. XXV. Sic & de Basilidianis constat, quod $\pi\alpha\sigma\eta\varsigma \alpha\iota\sigma\chi\rho\upsilon\rho\gamma\acute{\iota}\alpha\varsigma \tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\alpha\iota$, seu
omnis

omnis fœditatis patratores fuerint, ut est apud Epiph. *Hæres. XXIV.* & Damasc. *de Hæres. p. 286. in Monum. Cotelerii.* Carpocratianes quoque, refert Epiphanius, nihil aliud intendisse, quam ut sub Christi nomine, animos ad impia suadogmata pertraherent, neque enim alia re, pergit, nobis similes sunt, quam quod solo Christiani nomine gloriantur, ut ementiti hujus vocabuli specie, improbitatem suam exerceant. Dicunt enim: *Quæ ab hominibus mala judicantur, ea minime mala esse, sed honesta natura, nihil enim natura malum esse, sed ab hominibus duntaxat prava censerit. Hæres. XXVII. §. 4.* De Manichæis, juxta & Priscillianistis, supra quidem, constitit, quod soleant prætextu boni propositi hæreses suas mirifice obvelare; at in pluribus tamen, pessima illorum intentio denudata fuit satis. Nam illi rejiciebant Veteris Testamenti Libros, hi autem admittebant, sed pravo utrinque instituto; ut videlicet, *Lege Mosaica, vel rejecta, vel enervata, vitiis & delictis fræna laxarent. Etsi Vetus Testamentum, Priscilliani se suscipere simulant, Manichæi refutant: ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio; cum quod isti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant. In execrabilibus autem Mysteriis eorum, quæ quanto immundiora sunt, tanto diligentius occultantur, unum prorsus nefas est, una eademque obscœnitas & similis turpitudine. Quam etsi eloqui erubescimus, solidissimis tamen inquisitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehensi sunt, confessionibus detectam, ad publicam fecimus, pervenire notitiam. Ita Leo Magnus, velut de re comperta loquitur. Epistol. Decret. p. 489.*

§. XXX. Quodsi tamen veras utrinque causas contendamus, multo plures existimem Sectarios, ex bona, quam ex mala intentione in errorem prolapsos fuisse, aut saltem bonum animum dolose obtendisse.
Nam

Nam ex solius sanctimonix, & bonorum operum studio, ad quod plerique omnes, ut ad saxum adhærescunt, quot non hæreses & schismata prognata sunt? Scilicet hæc una propemodo *Gnosticorum* cura atque contentio fuit, ut ad majorem, cum illuminationem, tum integritatem morum pertingerent, quam tamen, ubi in sola lege, non in verbo Evangelii, quærerent, facta fidei jactura, in exitiosissimos errores inciderunt, velut ex Hæresiologia veterum constat. Conf. B. Thomas. *Orig. Hist. Pbil. p. 47. seqq.* Nec multo levius, utut ex alio principio, errabant *Gnosimachi*, quippe, qui omnem Christianismi cognitionem accuratiorem nihili faciebant, dicentes: *supervacaneum quid agere homines, qui cogitationes nonnullas in divinis exquirant Scripturis: nihil enim aliud querere Deum a Christiano, nisi bonas actiones. Quocirca melius esse, ut simplicius quis incedat, nullumque dogma, ad scientiarum questiones pertinens investiget. Damasc. de Heres. p. 322.* Quod si ad Pelagianos pergās, nihil his sanctius, nihil in virtutis studio rigidius fuit, adeo ut ipsimet Augustino, qui mores ipsorum probe noverat, *homines in speciem pii, audiant: non tales sunt, inquit, quos facile contempnas; sed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiliter versantes, Epist. CXX. c. 37.* Sed tamen, cum initium & progressum Christianismi, non ex gratia, sed ex solius naturæ viribus derivarent, adeoque hominem Christianum, vel sine Christi auxilio & merito perfectum fingerent, nihil isthac hæresi, Ecclesiæ exitiosius contigit, adeo, ut ex vero, Theologi judicent, Pelagianos prima totius, qui hodie-
num viget, Papatus fundamenta jecisse. Uti passim Lutherus & Gerhardus. De Audianis gemina Epiphanius tradit. Nam *Audius, imprimis clarus fuit, inquit, propter vitæ integri-*

integri-

tegritatem, & divina fidei Zelum, & ardorem: quicum saepe nonnulla videret, qua in Ecclesiis perperam geruntur, Episcopos & Presbyteros coram increpare, ac redarguere non verebatur, & identidem monere: non debent hæc isto modo fieri: non ita hæc administrare convenit, *Hæres. LXX. §. 1.* At tandem ex præpostero Reformationis studio in schisma atque hæresin delapsus est, famosamque Sectam condidit, cuius ipse dux fuit; quo quidem exemplo apud animum perpenso, Petavius inquit: *Hæc est via trita plerorumque Hæresiarcharum, qui quovis seculo Ecclesie bellum intulerunt.* Hi enim hanc viam ingressi, initio defectionis fugebant se infensos esse vitiis, quæ in disciplinam Ecclesiasticam irrepserant; fueruntque, qui bono & inculpato animo primum ita se gerebant, at paulatim primorum consiliorum immemores, nec intra mediocritatem consistentes, ad extrema delati sunt, ipsique se ardoribus innocenti fervoris absumserunt. Is fuit finis infelicis illius *Audit*, de quo egit *S. Epiphanius.* Exemplum hoc, pergit, attendere oportet, nostros illuminatos, qui tanto studio ardent revocandi Ecclesiam ad veteres canones, quos violari usque adeo egre ferunt, non a paucis, sed ab universo fidelium corpore. Inprimis vero ostendit, nuperum illum *Arnaldismum* ex eodem hoc fonte manasse; *Antonius enim Arnaldus*, edito de frequente communione, libro, laxam nimis Ecclesie disciplinam emendare intendebat, cum communionem Eucharistiae nimis frequentem accusaret, ad quam quilibet, non præmissa, quam antiqui Canones requirerent, pœnitentia, admitterentur. *Initium igitur fecit a pœnitentia*, verba Petavii sunt, quæ est preparatio necessaria, ad disponendos animos nostros, ad sanctissimum totius Regionis Christianæ officium, communionem nimirum, Eucharistia. Cumque insignem abusum animadvertisset, in directione ejus

ne ejus officii, contendit, revocanda esse prisca Veteris Ecclesie instituta. Hoc est arcanum novae Reformationis mysterium, ad quod defendendum ingens hoc volumen conscripsit Arnaldus, in quo ostendit, non satis esse, ut digne ad communionem accedamus, si, confessi peccata nostra Sacerdoti, pœnitentiam, ab eo nobis impositam, exsequuti fuerimus; sed præterea, reverentia testificanda causa, aliquamdiu abstinendum à pane illo vitæ, & quam maxime vitandam formam illam veteris pœnitentiae. Dogm. Theol. L. I. c. III. p. 220. Omitto demum Novatianos, quorum rigor, in emendanda Ecclesiae disciplina, peperit crudele dogma, de venia lapsis non impertienda; omitto Apostolicos, Angelicos, Anachoretas, Catharos, Evchetas, & si ad recentiores te convertas, Puritanos, Separatistas, Spirituales, Rigidistas, Fratres charitatis, & hujus furfuris plures, quorum vel nomina indicant, quam proclivi, ad emendationem vitæ, animo fuerint, sed, causis veræ doctrinæ insuper habitis, nonnisi turbas seditionesque in Ecclesia excitarint.

§. XXXI. Cæterum, & aliud quoddam malum, ex prætensa recti Intentione subortum est. Erant in veteri Ecclesia, qui præclare sese meritos putabant; si in causis Religionis, veritatem coelestem, figmentis quibusdam, adjuvarent, quo facilius doctrina Evangelii, à gentilium sapientibus, reciperetur. Atque ex hoc fonte prognati sunt tot libri Anonymi juxta, & Ψευδοπύραφοι, quos cum ætas Apostolica, tum proxima inprimis viderunt. Hujusmodi sunt oracula Sibyllina, nec non Scripta pagano - Christiana, quæ Mercurii Trismegisti nomine circumferuntur: in quibus negari non potest, capita Religionis quam plurima contineri, & verbis ita perspicuis explicari; ut lectorem, Christiana fide imbutum, facile occupent. Nec satis fuit Paganis aucto-

aucto-

auctoribus hujusmodi foetus supponere; sed & sub ipsius *Christi, Mariae virginis & Apostolorum* nominibus, spurii quidam Libri, editi leguntur. Uti sunt: *Epistola Christi ad Abgarum, S. Mariae Epistola ad Ignatium, ad Messanenses, ad Florentinos*; tum & *Evangelium Petri, Thoma, Philippi, Andreae, Matthiae*; itemque *Prot-Evangelium Jacobi*, ut nihil de *Actis & Apocalypsibus Pseudo-Apostolicis* addam, de quibus elegantissima *Dissertatione* egit *Vener. D. Ittigius*, in *Appendice Dissertationum de Hæresiarbis*; sigillatim vero, spuria hæc monumenta, edidit *Dn. Fabricius*, in *Apocryphis Novi Testamenti*. Tametsi vero nonnulla horum ab Hæreticis conficta sint, ad veritatem Religionis enervandam; quamplurima tamen hujus generis, à Christianæ Religionis assertoribus, inventa fuisse constat, ut causas veritatis cœlestis adjuverent. Verum, ut ut pius hoc propositum laudem mereatur, tamen *veritas DEI per mendacium excellere non debet, in ipsius gloriam, Rom. III. 7.* Erant enim hi viri nimium *ὀλιγόπιστοι*, tamque pusillæ fidei, ut verbum DEI inefficax esse crederent, nisi Regnum Christi mendaciis simul promoveretur. In quam sententiam eruditissimus *Casaubonus*, recensitis quibusdam veterum *ψευδογραφῶσις*, scite atque sapienter; *laudo propositum*, inquit, *consilium vehementer improbo, & toto pectore detestor. Facit enim veritati injuriam, qui falso patrocinio, hoc est, ope Diaboli, putat illam habere opus Exerc. I. p. 69.*

§. XXXII. Sed linquamus tandem vetera, & de statu Ecclesiæ moderno videamus. Si enim *Pontificios* respicias, solent illi, ceu constat, singularem quandam *methodum dirigende Intentionis* præscribere, quam in eo collocant, ut in suis quisque actionibus, licitum aliquem finem intendat, & actionem per se pravam,

innoxio quodam fine emendet. Nos, inquiunt, pro virili bo-
 mines ab illicitis rebus absterremus; at ubi actum impedire non
 possumus, saltem intentionem ipsam eo dirigimus, ut actionem
 per se nocentem, emendet finis intentus, apud montal. in
 Liter. Provinc. Epist. 7. Tum vero ad bonam Inten-
 tionem sæpius provocant Pontificii, ubi in defenden-
 dis fidei erroribus occupantur. Sic in controversia,
 de Traditionibus humanis; Nos, inquiunt, bona mente,
 consilio sancto, propositoque pio nitimur, atque nostris doctri-
 nis, homines segiores, velut quibusdam igniculis accendimus,
 & in servitutem DEI erigimus, apud Carolostadium, de
 Canonicis Scripturis, p. 9. Sic iterum, de cultu imaginum,
 a Chemnitio confutati, subinde repetunt illud axio-
 ma: Quicquid in nomine Domini, ad ejus honorem & venera-
 tionem fit, id non potest non sanctum, pium & DEO placi-
 tum esse. Cum igitur imagines fiant, colantur, & adorentur,
 ea opinione, quod homines existiment, se hoc modo DEO gra-
 tum cultum præstare, quis hoc, quod bona Intentione fit,
 damnare audebit? Ad quod cordate respondet Chemni-
 tius: ex hoc axioma non gentes tantum, verum etiam Ju-
 dei, Idololatriam suam extruxerunt, & inde eam, contra o-
 mnium Propbetarum monitiones, justificarunt. Sed DEUS
 expresse de cultu suo divino dicit: non faciatis singuli,
 quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio
 tibi, hoc tantum facies DEO tuo, non declines, vel
 ad dextram, nec ad sinistram, nec addas aliquid, nec
 detrahas. Exam. Concil. Trid. p. 698. f. Porro, si quæ-
 ras, cur votis monasticis conscientias constringant &
 onerent; ex bona opinione id fieri, respondent. In-
 venies eos, inquit Lutherus, hac opinione impia obsessos,
 quod arbitrentur, gratiam Baptismi irritam factam, & jam
 secunda tabula pœnitentiæ naufragium evadendum esse, ideo
 queren-

quarendum per votivum vivendi genus; non solum ut boni fiant & peccata deleant, sed & abundantius poeniteant, & ceteris Christianis, meliores fiant. De Voi. Monast. T. II. Fenens. p. 514. Iterum quaesiti, cur Monachis & Clericis suis, conjugium interdican? paratum hoc denuo effugium habent: scilicet, ut muneribus sacris, studio orationis & officio pastorali eo melius vacare possint. Bellarm. L. 1. de Cler. cap. 19. Denuo sollicitati, cur Laicis, in Evcharistia calicem subtrahant? respondent: ne qua sanguinis Christi gutta in terram effundatur. Tandem rogati, cur fabulam purgatorii excogitarint? non dubitant bonam Intentionem praetendere, ut Christiani eo facilius in officio retineantur. Quid multis? Hoc fundamento maxima pars cultuum Pontificiorum stat, corruique, sicut & Judaeorum superstilio, uti praecclare judicat Selneccerus, Comment. Epist. ad Rom. pag. 232.

§. XXXIII. Pergo ad Reformatorum coetum, qui bonam Intentionem veluti σοφὸν φάρμακον, hodie adhibent, ad studium concordiae Ecclesiasticae promovendum. Neque enim quenquam, inter εἰρηνοποιεῖς, five veteres, five modernos, fore existimem, qui non, ut utraeque Ecclesiae in unitatem fidei coeant, votis omnibus exoptarit, seriaeque animi sententia quaesiverit. Sed num sincera illa & sine fuce Intentio sit, ipsaque media, quae indicata sunt haecenus, ad hunc finem obtinendum sufficientiant; de eo jam pridem est dubitatum. Alii enim id quaerunt, ut una pars in alterius castra transeat, id est, succumbat & tesseram abjiciat; alii eo pertendunt, ut uterque coetus, in mutuam tolerantiam & societatem concedat; alii communis adversarii oppressionem, regnique amplitudinem, ex hac animorum conjunctione, sibi promittunt. Quorum omnium institutum,

vereor, ut, vel ex rectitudine morali defendi possit. Quandoquidem *illi* Ecclesiae nostrae, cui tamen veritatis laudem tribuunt, totalem extirpationem; *isti*, nonnisi verissimum Syncretismum intendunt, in tot iterum sectas abiturum; quot de recta fide opiniones in Ecclesia tolerantur; *hi* denique rationem status animo praecipunt, adeoque vim unitam, quovis hoste & regni invasore, superiorem fore, confidunt. Nec magis *media* quibus hunc suum finem se consecuturos putant, nobis probantur; cujusmodi sunt: *Causas Religionis in medio relinquere, nec, celebratis conciliis, definire: controversias haecenus agitatae, nec ad fundamentum fidei, nec ad veritatem, quae alicujus momenti sit, referre: elenctum porro nominalem, profligare: disputationibus & scriptis irenicis, quae scapham, scapham appellant, obicem ponere; & denique non Theologis, sed Politicis, & viris secularibus, causas fidei decidendas relinquere. Paucis: seclusa veritatis investigatione, ad quandam utriusque partis contesserationem proflire.* Quotquot enim haecenus libelli irenici, vel tecto, vel aperto Marte, prodierunt, nonnisi retia tendunt incautis, & ad inescandam multitudinem compositi sunt. Ignavus igitur sit oportet, ac nimium simplex, qui hastam abjiciat, & ex possessione veritatis, quam nobis tot publicae illorum confessiones asseruere, deturbari sese patiatur.

§. XXXIV. Nunc universa *Fanaticorum* turba, ante oculos versatur, de quibus multo quam notissimum est, quod errores suos, nonnisi specie pietatis & bonae Intentionis disseminant. Sive enim *Anabaptistas*, sive *Menonistas*, sive *Quackeros*, sive *Boemistas*, & quascunque hujus generis cohortes, respicias, tantum omnes zelum, tamque splendidam praesferunt pietatem, ut dubium hinc mo-

mo-

moveatur: *an non hereticorum opera* (quod nomen utique merentur, qui naufragium fidei fecerunt) *vere bona sint, Deoque placeant?* Antesignanus quidem, id genus hominum in exemplum nobis sistit, juxta quod nostros emendare mores conveniat. At sano Theologo indigna ista quidem assertio est. Cum, vel in Baalitis, vel ipsis Pharisæis, multo fervidius fuerit bonorum operum studium, & tamen *imitari illud prohibet Christus, Matth. XXIII. 3.* non enim viva, sed mortua sunt Ecclesiæ membra; a quibus bonos fructus expectare perinde *ἀδύνατον* est, atque *a spinis uvas colligere. Matth. VII. 16. vid. Calov. Exegem. A. C. A. VI. c. I. 88.*

§. XXXV. Denique, si totum, qui hodie Ecclesiam infestat Pietismum, perquiras, ecquid aliud, quam schisma est, quod *bona quidem Intentio* genuit, at *illicita hæctenus media foverunt.* Prope fascinatus est orbis isthac *προφάσις*, ut quosvis errores, & quantacunque crimina, bonæ Intentionis velamento, tegat. Equidem recti propositum studiumque pietatis satis indicant, *pia illa desideria*, ab hujus sectæ auctore edita, quando nonnisi emendationem vitæ, & propagationem Christianismi ostentant, quam tamen mediis, ad hunc scopum delectis, contaminant, atque depravant. Quin imo, ne *Intentionem quidem puram atque sinceram* fuisse, etiam illi odorati sunt, qui ex Scholis ejus prodierant. Sic enim Wincklerus, P. Hamburgensis! *Die Haupt-Summa in diesem Werk / ist der Chiliasmus: Das ist / die Erone / wornach man ziehet / die Nebenabsicht / ist die Beredung zur Einfalt / und die Frucht / ist leider Spaltung. Im Bedenken über der specie Facti Petersen. p. III. Quam tamen culpam bone Intentionis prætextu sic elevat magister: Was D. Petersen betrifft / habe ich an seiner gründlichen Gottesfurcht / Aufrichtigkeit / und redlichen Intention, in allen*

allen

allen Stücken / göttliche Ehre / und der Menschen Heil zu befördern / die wenigste Ursache zu zweifeln. D. Spen. Bedenk. §. 2. Quicquid tandem sit de bonitate Intentionis: ipsa etiam media, haecenus explorata, fini non congruunt, quin potius eidem adversantur. Ecquem enim fructum pepererunt *privata illa collegia pietatis?* quorum scopo sese excidisse, auctor ipse, paulo ante obitum, fassus est: in meinem collegiis habe ich den verhofften Nutzen / aus mehrern Ursachen / nicht erhalten: *Curr. vite Spen. p. 32.* Quid utilitatis aut incrementi ad Christianismum attulit hypothesis: *De nondum impletis Prophetarum vaticiniis?* ex qua, cum Atheos, tum Judæos, sese convicturum putabat? *si indulgeretur, scilicet, restare maximam illorum partem, in Christi reditu, ad regnum millenarium, implendam.* Hoffm. Bes. 3. p. 170. Imo, quo successu homines a securitate revocati sunt, *effugio illo gratie divina termino?* quod perpetuum illorum effugium est. Annon perinde hoc esse dixeris, quam *hominum salutem, per fas & nefas promovere velle?* uti loquitur Dn. D. Ittigius, *Concione Dom. Mis. sub fin.* Sane, *abrogatio Librorum Symbolicorum, Systematum Theol. & Studii Philosophici; ac surrogatio Theologiae mysticae, id est, Christiano-pagana: abolitio confessionis privatae, commendatio librorum fanaticorum, & sexcenta hujusmodi media,* tantum abest, ut Christianismum promoverint, ut potius ad praesentissimum schisma munierint viam. Num vero *bona Intentione,* hanc pravitatem mediorum exculpaveris? minime vero. Utenim *Intentio recte scribendi,* admissum sphalma, non vertit in orthographiam; nec *Intentio recte dicendi* barbarismum, aut solœcismum, mutat in latinam dictionem: ita nec *Intentio recte docendi,* & verum Christianismum promovendi, id praestat, ut Solœcismus, aut quicumque error, in causa fidei admissus, quenquam a culpa liberet. Id quod erat nobis ostendendum.

S. D. G.

Coll. diss. A. 83, misc. 57